

dispositione quadam ad reproductionem, *nego*, et *nego cons.* Equidem imagines rerum non conservantur actu in phantasia et memoria (non semper enim explicite imaginamur aut recordamur res olim perceptas); at, si non actu, certe saltem habitu conservari debent; enimvero alioquin neque vigilia neque somno imagines illas reproducere possemus (contra experientiam quotidianam), sicque explicite imaginari ac recordari quae olim percepimus.

Obi. V. — Iuxta communem loquendi modum, memoriae quoque est recognoscere identitatem obiecti praecedentis repraesentationis cum obiecto repraesentationis subsequen-
tis. Atqui cognitio haec exposcit formationem cuiusdam veri iudicii, usumque rationis. Ergo animalia bruta, aut non habent memoriam, aut una cum memoria habent rationem.

R. — *Dist. mai., conc. min. et nego cons.* Memoriae humanae est etiam recognoscere identitatem..., *conc.*; memoriae belluinae, *subdist.*; recognitione proprie dicta, *nego*, improprie dicta, seu analogica, *conc.* (1).

(1) « Della memoria umana il comune parlare comprende eziandio l'atto del *riconoscere* l'identità dell'oggetto di una precedente rappresentazione con quello di una susseguente. Il che senza dubbio richiede l'uso della ragione in quanto importa la formazione di un giudizio: e lo richiederebbe perciò ancor nei cani e in tutta la legione di bestie diversissime che *riconoscono*, al dire degli evoluzionisti, il padrone, la casa, la strada e un milione di altre cose. Il male è che parlando dei bruti, a cotesto vocabolo di *riconoscere* si dà gratuitamente un senso proprio, mentre non si ha diritto di adoperarlo che per analogia. Noi vediamo che nei bruti il riaffacciarsi di un dato oggetto ridesta la stessa passione che gli destò per innanzi, come avviene nell'appetito ragionevole dell'uomo in conseguenza del giudicare che questi fa circa il secondo oggetto identico col primo. Ma il medesimo effetto può prodursi e si produce, nell'appetito animale, in virtù della semplice memoria fantastica, aggiuntavi la connessione acquisita per abito fra una data passione e un dato fantasma. Così avverrà che il bambino riconosca la balia, con un *riconoscimento* però pari al primo *conoscimento*, senza idee nè giudizi.

» Non ci tratteniamo intorno agli altri riconoscimenti del cane che lecca la mano al ritratto della padrona o abbaia alle immagini in pittura di gente sconosciuta. Il Romanes ci vede un indizio d'intelligenza non comune. Il lettore li registrerà fra gli esempj citati più sopra: e noi aggiungeremo che tutti i passerj e il popolo degli uccelletti che pigliano paura dello spauracchio, scambiandolo con un uomo o con un falco, fanno prova d'intelligenza eguale » (Idem, op. c., p. 227-8).

ARTICULUS II.

DE APPETITU SENSITIVO.

Appetitus sensitivus, vel etiam *instinctus*, *voluntas inferior* (1), nuncupari solet facultas qua animal inclinatur in bonum materiale sensibus perceptum. Iam cum malum sit oppositum boni, sequitur appetitum non posse inclinari in bonum materiale nisi declinando a malo. Obiectum igitur appetitus sensitivi erit, non tantum bonum, sed etiam malum materiale: illud ut prosequatur, istud ut vitetur. Quod si aliquando malum ipsum prosequitur ab appetente, id non nisi per accidens fit, quatenus nempe malum aut falso percipitur tamquam bonum, aut coniungitur cum aliquo bono.

Appetitus concupiscibilis et appetitus irascibilis. — Inter divisiones appetitus sensitivi praecipua semper erit quam ab antiquis accepimus, scilicet divisio in *appetitum*

(1) Appetitus (ex particula *ad* et verbo *petere*) generatim dicitur omnis inclinatio unius ad aliud tanquam ad bonum sibi conveniens. Porro res quae inclinatur ad bonum aliquod sibi conveniens, aut inclinatur ab ipsa natura, aut inclinatur ex seipsis post aliquam praeviam cognitionem. Si primum, habetur appetitus *naturalis* seu innatus (scholastici eum appellabant quoque *nisum*, *conatum*): sin alterum, habetur appetitus *cognoscitivus* seu *elicitus*, qui sua vice dividitur in *sensitivum* et *intellectivum*, prout praevia cognitio est sensitiva vel intellectiva. — De his duobus postremis satis fuse suo loco tractatur: de appetitu naturali meminisse sufficiat ipsum non esse specialem facultatem, sed esse proprietatem communem omnibus viribus et facultatibus, prout sunt res quaedam naturales, easque inclinare ad exercendas actiones consentaneas sibi et naturae ex qua procedunt. — De appetitu hoc naturali intelligendi sunt per celebres illi versus Alighieri, in *Parad.*, c. 1:

Nell'ordine ch'io dico sono accline
Tutte nature, per diverse sorti,
Più al principio loro e men vicine;
Onde si muovono a diversi porti
Per lo gran mar dell'essere, e ciascuna
Con *istinto* à lei dato che la porti.

concupiscibilem et appetitum irascibilem. Appetitus concupiscibilis (nunc *instinctus voluptatis, delectationis*) respicit bonum et malum sensibile *non arduum*; appetitus irascibilis (nunc *instinctus luctationis*) respicit bonum et malum *arduum*, respicit nempe bonum et malum quatenus difficile adeptu vel vitatu.

Passiones. — Actus appetitus sensitivi, tum concupiscibilis, tum irascibilis, sunt affectus illi sensibiles, qui commotionem seu perturbationem quandam in organismo producunt, et idcirco a philosophis *passiones* (nunc etiam *emozioni, sentimentis corporei, animalis*) vocari consuescunt; quamquam vulgo nomen hoc tantummodo usurpetur ad designandas perturbationes vehementes, praesertim malas et habituales.

Numerus passionum. — Si spectes earum obiectum materiale, habebis passiones, cibi, potus, ludi, luctationis, persecutionis, aliasque sine numero; nam sine numero sunt res quae, propter rationem aliquam boni aut mali sensibilis ipsis inhaerentem, ciere possunt motum seu affectum appetitus animalis, tum concupiscibilis, tum irascibilis. Sin autem spectes earum obiectum formale, i. e. rationem ipsam boni aut mali sensibilis rebus inhaerentem, passiones commode reducuntur ad undecim: quarum aliae versantur circa bonum et malum non arduum, ac proinde referuntur ad appetitum concupiscibilem; aliae versantur circa bonum et malum *arduum*, ac proinde referuntur ad appetitum irascibilem.

Passiones appetitus concupiscibilis. — Passiones huius appetitus sunt: *amor et odium, desiderium et fuga sive horror, gaudium sive delectatio et tristitia sive dolor.* — Et vero bonum et malum, quod est obiectum appetitus concupiscibilis, vel ita consideratur ut nulla habeatur ratio eius praesentiae aut absentiae; vel consideratur ut absens ac futurum; vel consideratur tamquam praesens (tacetur praeteritum, nam praeteritum, ut sic, iam non est, et ideo neque boni neque mali rationem sibi vindicat). Si primum, respectu boni gignitur *amor*, respectu mali *odium*; si secundum, respectu boni gignitur *desiderium*, respectu mali *fuga sive horror*; si ter-

tium denique, gignitur *gaudium sive delectatio* aut *tristitia sive dolor* prout de bono agitur vel de malo (1).

Passiones appetitus irascibilis. — Quinque enumerantur passiones appetitus irascibilis: *spes et desperatio, audacia et timor, ira.* — Bonum et malum arduum, quod est obiectum proprium appetitus irascibilis, vel absens est, vel praesens. Iam bonum arduum illudque absens, vel apprehenditur obtineri posse, vel secus. Si primum, enascitur *spes*; sin alterum, *desperatio*. Idem contingit de malo arduo et absente. Ipsum vel aestimatur tale ut repelli possit, vel secus. Si primum, enascitur *audacia*; sin alterum, *timor*. — Restat bonum et malum arduum ac praesens. « At bonum quantumvis in se arduum, si iam praesens est, et prout praesens est, movere tantummodo potest concupiscentem partem ad gaudium, non autem commovere potest irascentem; siquidem, bono obtento, nulla supersit amplius quae vincatur difficultas. Aliter res se habent, si agatur de malo arduo *praesente*: pro malo enim arduo et praesente habemus *iram*, cui motui passio opponitur, non quidem in parte irascente, sed tantummodo in concupiscibili. Vel enim animus contra praesens atque iniacens malum vehementi assurgit conatu, et est *ira*, vel cedit deiectus, et est *tristitia*; tristitia autem spectat ad concupiscibilem partem, non ad irascibilem » (FERRETTI, *Instit. phil. mor.*, vol. I, n. 191).

Aliae passionum divisiones. — Passiones dividi etiam solent in simplices et mixtas, excitantes et deprimentes, naturales et acquisitas.

Simplices (ideoque etiam *primariae*) sunt quae usque modo consideravimus; *mixtae* (ideoque etiam *secundariae*)

(1) « Delectatio et dolor ex duplici apprehensione causari possunt, vel ex apprehensione exterioris sensus vel ex apprehensione interiori sive intellectus sive imaginationis. Delectatio quae ex interiori apprehensione causatur *gaudium* nominatur, et similiter ille dolor qui ex interiori apprehensione causatur nominatur *tristitia*. Et sicut illa delectatio quae ex exteriori apprehensione causatur, delectatio quidem nominatur, non autem gaudium; ita ille dolor, qui ex exteriori apprehensione causatur, nominatur quidem dolor, non autem tristitia. Sic igitur tristitia est quaedam species doloris, sicut gaudium delectationis » (*S. Th.* I. p. q. XXXV, a. II).

sunt quae ex simplicibus componuntur velut miseratio, invidia, etc.

Excitantes dicuntur quae excitant activitatem animalis velut gaudium, spes, audacia, ira; *deprimentes* contra dicuntur quae deprimunt activitatem illam, veluti tristitia, desperatio, timor.

Naturales ex nativa corporis constitutione resultant, sicut fames, sitis, delectatio cibi et potus convenientis; *acquisitae* vero procedunt ex consuetudine quadam, sicut delectatio huius vel illius ludi particularis, cupiditas tabaci, opii, etc.

Quaenam sit prima passio et radix caeterarum. — Ex dictis manifeste consequitur amorem (qui definiri solet *complacentia boni*) esse primam passionem et radicem caeterarum. Re sane vera: — 1) absque amore boni, non haberetur desiderium eiusdem; absque desiderio non haberetur neque gaudium, neque spes, neque desperatio; — 2) absque amore boni, non haberetur odium mali; et absque odio mali non haberetur neque fuga, neque tristitia, neque audacia, etc. — Sed advertite quod, cum bonum semper ab animali in concreto, atque ideo sicut praesens vel absens, percipiatur, nunquam solus amor in ipso invenitur; sed semper, cum amore, invenitur aliqua alia passio.

THESIS. — *Appetitus sensitivus est facultas specificè diversa a sensitivitate.*

Prob. I. — Ex diverso obiecto formali, siquidem sensus versatur circa res quatenus sunt cognoscibiles, appetitus autem versatur circa res quatenus sunt fruendae vel fugiendae.

II. — Ex diverso modo quo operantur. Sensus, sicut aiunt nuperi, est potentia *afferens*, appetitus autem est potentia *effrens*. Revera, animal per sensum trahit ad se obiecta sensibilia, immo ea intra se suscipit intentionaliter, h. e. repraesentatione quadam; per appetitum vero trahitur ipsummet ad praedicta obiecta vel ab ipsis refugit.

Schol. I. — Utrum appetitus concupiscibilis et appetitus irascibilis sint nec ne una tantummodo facultas, sub duplici respectu considerata, controvertitur. Ipsi thomistae, in hac quaestione, in partes contrarias discedunt; sunt enim qui cum Thoma propugnant sententiam negantem, et sunt qui cum Suarez propugnant sententiam affirmantem.

Schol. II. — Non minori contentione controvertitur de sede propria potentiae appetitivae. Re enim vera antiqui unanimiter eam reponebant in corde: ex recentioribus autem, alii affirmant ipsam in cerebro locari, alii in systemate ganglionari et proprie in *magno sympathico*, alii denique in corde. Est tamen notatu dignum philosophos ac physiologos, cuiusque temporis et loci, in hoc convenire, nimirum passiones, si proprie non oriuntur in corde, per ipsum tamen, seu per mutationes quas in ipso gignunt, potissime manifestari: unde semper verae manent expressiones quibus, volentes denotare varias hominum affectivas dispositiones, dicimus, e. g., *cor magnum, parvum, durum, tenerum*, etc.

Obi. I. — Si brutis passiones conceduntur, concedenda quoque erit moralitas.

R. — *Nego*, etenim passiones, qualiter hic accipiuntur, sunt actus, qui, non libere, sed necessario fluunt ex appetitu sensitivo, statim ac animal percepit obiecta utilia vel noxia, iucunda vel dolorosa; unde nullam per se moralitatem habent.

Obi. II. — Si passiones nullam per se moralitatem habent, sequi poterit sententia epicureorum approbantium passiones omnes, quantumvis effrenas et in obiecta rationi contraria tendentes.

R. — Iterum *nego*, nam passiones, in homine, moraliter bonae vel malae fieri possunt, ac reapse fiunt propter influxum rationis et voluntatis quibus subduntur, ut ab ipsis regantur, cohibeantur, etc..

Obi. III. — Bruta in se experiuntur etiam passiones nobiliores, uti amorem familiae, commiserationem aliorum fortunae. Ergo, praeter appetitum sensitivum, habent appetitum rationalem seu voluntatem.

R. — *Conc. ant. et nego cons.* Nam in ipso homine

allegatae passiones non excedunt capacitatem appetitus sensitivi (1).

(1) « ... Passione... diffusissima nel regno animale, con mirabile varietà di leggi e di effetti, è *l'amor di famiglia*. Anche nella specie umana nessun altro lo vince per universalità e per veemenza. Frattanto egli non muove al certo dall'apprensione di veruna delle qualità che concigliano un amor razionale, come a dire la perfezione e la bontà assoluta e relativa dell'amato. La madre nel suo bambino non vede altro che *lui*, con al più la memoria di averlo dato alla luce; e tanto le basta per doverlo amare svisceratamente. Appena è se un filosofo riuscirà a scoprire in quella semplice apprensione i motivi comuni dell'amore; e la natura quindi, per risparmiare alle mamme una tale analisi di difficile esecuzione e di esito assai dubbio, ha disposto il cuor loro così, che la vista ed anche solo la rappresentazione imaginaria dei bambini, vi svegli un vivissimo affetto, che diciamo istintivo. A questo si potrà sovrapporre dipoi l'affetto razionale ed eziandio soprannaturale; ma sono tutt'altra cosa dal primitivo amor materno, passione di ordine prettamente sensitivo o animale, che torna lo stesso.

» Il medesimo può osservarsi a rispetto della *compassione*, affetto bellissimo, perchè non si termina al nostro proprio vantaggio, e oltre a ciò, necessario al tutto per la convivenza umana; e per questo la natura non ne volle affidati i moti al lavoro della ragione, ma vi provvide essa con un impulso speciale. Già, egli è un affetto che, a ragionarne, non si verrebbe facilmente a capo di sentir pietà di nessuno. La compassione importa che io soffra dell'altrui patimento come di cosa mia. Ora il vincolo su cui si fonda cotesta comunicazione dei mali, anche in chi l'apprende, non è gran fatto efficace a destare il moto della compassione; come si scorge nel gelido « Vi compatisco » che esce per mera riflessione dai cuori insensibili. Nella vera compassione, che rattrista, che stringe il cuore, che, a un bisogno, sprema le lacrime e fa uscire dei sensi, la partecipazione ai dolori si opera per una cotale unione *affettiva* e *imaginaria* col paziente. Di qui è che la compassione si desta più intensa per coloro che si amano, perchè la detta unione è già un elemento dell'amore: e si desta con più facilità e vivezza nelle donne e nei fanciulli, nei quali predomina la parte sensitiva, e meno negli uomini più maturi: e infine essa, per parte dell'apprensione, non si commisura all'apprezzamento ragionato degli altrui patimenti, ma alla vivacità della rappresentazione *imaginaria* dei medesimi, come si confa alla sua natura di affetto meramente animale.

» Quindi si scorge quanta vana fatica abbiano sostenuta il Darwin, il Lubbock, il Romanes, e i loro numerosi colleghi e collaboratori, nel raccogliere gli esempi di simili affetti, occorrenti ancora nei bruti, come se questi ne venissero ravvicinati all'uomo, mentre nell'uomo stesso essi non oltrepassano la dignità e il modo di cieche passioni istintive» (SALIS SEEWIS, op. cit. p. 162-4).

ARTICULUS III.

DE LOCOMOTIVITATE.

Sensus et appetitus sensitivus prorsus inutiles, immo perpetuo cruciatu essent animalibus, si in ipsis desideraretur *locomotivitas* seu facultas sese transferendi de loco in locum, ad assequenda bona vel devitanda mala sensibus percepta et appetitu sensitivo amata vel odio habita.

Varia manifestatio locomotivitatis in variis animalibus. — Locomotivitas non exercetur eodem gradu eodemque modo in cunctis animalibus. Sunt enim animalia inferiora (polypi, e. g.) quae movent partes sui corporis, sed nequeunt sese transferre de loco in locum, nempe carent motu relationis *progressivo*: inter animalia vero, quae instruuntur hoc motu, alia tantum *incedunt*, alia *currunt*, alia *volant*, alia *natant*, etc.

Organum locomotivitatis. — Si animalia excipias structura simpliciori, in quibus facultas haec videtur extendi ad totum corpus, in caeteris aliis animalibus inhaeret musculis, et non sunt ei extranei nervi, qui dicuntur motorii, ipsumque cerebrum, praesertim in sua parte posteriori atque inferiori nempe in cerebello.

THESIS. — *Locomotivitas est facultas diversa a sensibus et appetitu sensitivo.*

Prob. — Sensatio, appetitio et locomotio sunt operationes omnino diversae. Et vero: — 1) per sensationem animal trahit ad se et intra se suscipit, imagine quadam, obiecta externa; per appetitionem ipsum animal trahitur ad obiecta vel ab obiectis aufugit, sed tantum affectu; per locomotionem trahitur ad obiecta vel ab eis aufugit sese transferendo de loco in locum, aut cum toto suo corpore, aut saltem cum aliqua eius parte; — 2) sensatio et appetitio extrinsecus minime per se apparent, et solum cadunt sub observationem internam seu conscientiam; contra locomotio extrinsecus apparet, mediisque externis ac mechanicis

faciliter impediri potest. Iam operationes adeo diversae arguunt facultates item diversas. Ergo...

Schol. — Ad producendos motus animales (qui *spontanei* etiam vocari solent eo quod in ipsis spontaneitas magis apparet quam in motibus mere vitalibus), tres concurrunt causae: *sensus*, ut dirigens; *appetitus*, ut imperans; *locomotivitas*, ut exequens. Sed expedit animadvertere non omnes motus qui in animalibus et ab animalibus exequuntur aequaliter praesupponere tres allegatas causas. Dantur enim motus qui non sunt nisi *reactiones* physiologicas in organis excitatas a *stimulis* seu agentibus externis. Motus isti sunt qui *naturales* a philosophis scholasticis, *reflexi* a physiologis et aliis nuncupantur. Ipsi innituntur quibusdam conditionibus physiologicis praesertim musculorum, et, saepenumero, aut fiunt repugnante appetitu (sic obtingit in sternutatione, in vomitu, etc.), aut effugiunt omnem omnino sensationem (sic obtingit in motibus peristalticis et antiperistalticis stomachi, in motibus cordis, arteriarum, etc.); quin imo locum habent etiam in plantis (Cfr. pag. 94) et (processibus quibusdam chemicis vel electricis) in ipso cadavere animalium nuper mortuorum.

Obi. — Si bruta moventur de loco in locum ad assequenda bona aut devitanda mala sensibus percepta, certe agunt propter finem ab ipsis cognitum. Atqui repugnat entia intellectu destituta agere propter finem ab ipsis cognitum. Ergo...

R. — *Dist. mai.* Si bruta moventur..., agunt propter finem ab ipsis cognitum *implicite*, quatenus cognoscunt res singulares, materiales, quae revera sunt finis suarum operationum, *conc.*; agunt propter finem ab ipsis cognitum *explicite*, ita nempe ut cognoscant naturam seu essentiam rerum, ac proinde etiam rationem finis, i. e. convenientiae, bonitatis, appetibilitatis, in ipsis existentem, *nego.* — *Contradist. min.* Repugnat entia intellectu destituta agere propter finem ab ipsis cognitum tantum *implicite, nego; explicite, conc.*, nam solius intelligentis est cognoscere ipsam rerum naturam, rationemque finis quam habent relate ad alias.

Inst. — Animalia bruta instinctive operantur. Atqui

instinctive operari idem est ac operari sine ulla cognitione. Ergo...

R. — *Conc. mai., dist. min. et nego cons.* *Instinctive operari* idem est ac operari sine cognitione intellectiva, rationali, ideoque sine ulla cognitione explicita finis propter quem operatur et relationis quam media habent ad finem, *conc.*; idem est ac operari sine cognitione sensitiva rerum materialium quae habent rationem finis aut mediorum ad finem, et ideo sine ulla cognitione, saltem implicita, finis mediorumque, *nego.* Et vero, quanquam nomen *instinctus* significationem valde fluctuantem habeat et latissime usurpetur ad significandam omnem naturalem inclinationem alicuius rei ad proprium bonum seu finem; nihilominus generatim et pressius idem nomen usurpatur ad significandam inclinationem naturalem propriam animalium brutorum et infantium, omnium scilicet qui *sine sufficiente cognitione* ducuntur ad finem aliquem obtinendum.

CAPUT II.

DE NATURA SENTIENTIUM.

Usque modo variarum operationum ac potentiarum animalium existentiam vindicavimus; nunc oportet eorum naturam inquirere. Ut autem inquisitio haec prospere succedat: — 1) praestare debemus claram notionem cognitionis firmiterque stabilire utrum animalia vere cognoscant; — 2) cuiusnam gradus sit eorum cognitio; — 3) quomodo oriatur; — 4) in quonam subiecto; — 5) a quonam principio.

Hisce consideratis, natura animalis satis patefacta fiet, nam cognitio est initium et mensura totius vitae *animalis*.

ARTICULUS I.

UTRUM SENTIENTIA VERE COGNOScant.

Definitio cognitionis. — Cognitio definiri potest: *actio vitalis qua cognoscens res sibi repraesentat per species seu imagines intentionales.*